



**Oratio, qua penitus excutitur et tractatur krite?rion
certitudinis historiae biblicae & sacrae, : ex varijs, ijsq[ue]
valde memorabilibus, profanorum etiamq[ue] scriptorum
atq[ue] gentilium testimonijs:**

<https://hdl.handle.net/1874/428353>

2

ORATIO

QVA PENITIVS
EXCVTITVR ET
TRACTATVR KPITH'PION
CERTITVDINIS HISTORIÆ BIBLICÆ
& sacrae, ex varijs, ijsq; valde memorabilibus, profano-
rum etiam scriptorum atq; gentilium
testimonijs:

RECITATA IN SOLENNI ACTV PROMO-
tionis Theologorum quorundam, cum eis summus in Theolo-
gia gradus atq; bonus, 24. Martij, Anno Christi
1585, tribueretur:

AB

EGIDIO HVNNIO, S. THEOLO-
giae Doctore & Professore in Acade-
mia Marpurgensi.



FRANCOFORTI AD MOE-
NUM, EXCVDEBAT
Ioannes Spies.

M. D. LXXXVII.

ORATIO

QUA PENITENTIA

EXCUTITUR ET

REACTATUR KRISTIANI

IN SOLENNIBUS ACTIBUS

PEDIC HERRIO S. THEOLO.

die Doctoris Professor in Aca-
demia Marburgensi.



FRANCISCI AD MOE
N. M. RECVBERAT

M. D. LXXXVII

CLARISSIMO VIRO,
PIETATE, DOCTRINA, PRVDEN-
TIA, ET VENERANDA SENECTA CAN-
cieq; spectatissimo, Domino Philippo Pistorio, Iuris
vtriusq; Doctori Consultissimo, Domino
suo plurimum colendo.



EL TANDEM, CLARISSIME, CONSVL-
tissimeq; Domine Doctor, ad manus tuas mea haec
qualiscunq; venit Oratio, quam in solenni Acture-
nuntiationis Doctorum Theologorum, anno supe-
riore à me habitam, typis excudi & in lucem ho-
minum emitti petij. Et. Continet ea sanè firmitatis
ac certitudinis sacrarum literarum, atq; in primis historiae Biblicae
argumentum vnicum duntaxat. Quanquàm enim promptum fuisset,
pluribus xp̄t̄n̄is ad aduertendos ostendere, scripturam Prophe-
ticam & Apostolicam non humanitus inuentam excogitatamue, sed
caelitus allatam, & vt Apostoli voce utar, verè deo & vniuersi diui-
nitus inspiratam esse: Cuiusmodi sunt, quae à genere doctrinae, ab
antiquitate, Spiritus sancti testimonio interno, vniuersali priorum
experientia, ab effectibus, miraculis, admiranda huius doctrinae con-
seruatione & propagatione in orbem terrarum, testimonio Marty-
rum, nec non vaticinijs, illorumq; infallibili complemento petuntur:
Haec tamen vice, vnum hoc, quod ex diuersissimorum populorum atq;
gentium suffragijs astruitur, deligere visum est, tum vt eò plenius
id pertrahi posset, tum quoq; vt citatis profanorum scriptorum te-
stimonijs ostenderetur, historiam Ecclesiae Dei nunquam fuisse gen-
tibus ita incognitam, quin de aliquibus multis eius partibus ipsi cum
scirent, tum scriptis suis publicè testificarentur. Quae sanè consensio
homines non planè stupidos, haud mediocriter oblectat, & in veritate
confirmat. Cum ergo tua Excellentia (vt solet conuentus nostros
Scholasticos, maximè verò conciones sacras, penè etiam vltra corpo-
ris vires

PRÆFATIO.

ris vires frequentare) hanc orationem non solum summa cum attentione audiuerit, sed insuper eandem typis mandatam, aliorum etiam vsui communicari exoptarit & petierit: tametsi me petitioni honestæ ac piæ sine diuturniore mora obsecundare oportuit: attamen quia negotijs subindè alijs atq; alijs huc vsq; præpeditus fui, nunc tandem quod sum pollicitus, effectui dandum censeo. Et quoniam tua honoranda Excellentia me ad editionem huius lucubratiuncule cohortata est: præ ceteris tuo potissimum spectato laudatoq; nomini eam nuncupandam duxi, amanter & officiosè orans, vt exiguum munus literarium, sacrum tamen & sanctissimæ scripturæ laudibus dicarum, animo candido, pro insigni tua pietate acceptes boniq; consulas. Quod superest, tuam Excellentiam præpotentis Dei protectione pijs votis vnice commendo. Marpurgi, 18. Augusti, Anno Christi 1586.

Tuam Excellentiam colens

Egidius Hunn. D.

ORATIO,

ORATIO, TRACTANS

CERTITVDINIS HISTORIAE

SACRÆ BIBLICÆ *κρίθηρον*, AB

vniversali testimonio populorum

desumptum.

REGIVS PROPHEA DAVID, CVM IN-
comparabiles Christi victorias & triumphos in
Spiritu admiratur: sic canit Psalmo suo verè
vaticidico 68. Curruum Domini millia millium,
Dominus in medio illorum, in sancto Sinai. Ascendisti in al-
tum, captiuam duxisti captiuitatem, distribuisti dona in
hominibus. Quæ dona Paulus in Nouo Testamento expli-
catiùs enarrans, ait: Et alios quidem dedit Apostolos, alios *Eph. 4.*
verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pa-
stores & Doctores, ad instaurationem Sanctorum, in opus
administrationis, in adificationem corporis Christi. Qui-
bus & Propheta & Apostolus ostendit, quæ quantaq; mune-
ra Christus, cùm ad sempiterni regni sui gubernacula, glo-
riose suæ Ascensionis die subueheretur, in hominum genus
sparserit, nempe non aurum argentumue, non gemmas aut
margaritas, non quicquid in hoc mundo magni vel fieri vel
æstimari solet: sed diuini sui verbi præcones, eosq; & nume-
ro multos, & grata donorum varietate distinctos. Quæ
ipsius in spargendis è sublimi donis suis liberalitas, non an-
gustis ad eò terminis est conclusa, vt tùm quidem, cùm hæc
Diuus Paulus impleta, scriberet, tam grata & salutaria dona
dederit, nunc verò illum suæ munificentie fontem clau-
sum nobis velit: Quin potius pro inæstimabili sua in nos bo-
nitate, nunquam non gratas ad eò manus ad spargenda mu-
nera illa, porrigit & extendit. Et vt absq; circuitione propius:

DE CERTITVDINE

ad institutum veniamus, certè non possumus non illius Propheticae simul & Apostolicae sententiae gratis mentibus recordari, quando in hanc praecalam lucem & venerandum conspectum nobilissimorum literatissimorumq; hominum, productos intuemur duos hosce Theologiae Candidatos eximios, qui velut è caelestis sapientiae domicilio prodeuntes, hodierna luce fructum aliquem suorum laborum capiunt, & eorum numero esse palam conspiciuntur, qui ex ipsis quasi manibus Christi triumphatoris donaria, non pro se tantum, sed pro aedificatione Ecclesiae, in administrationem Sanctorum acceperunt. Quae dona in ipsis grata mente agnoscere & venerari, ipsosq; pijs votis prosequi, & sanctis illorum conatibus fausta precari decet. Verum quia laudabilis vsus obtinuit, vt huiusmodi congressus non sint muta vel ociosa spectacula, sed in ijs dici soleat de rebus, quae vel animum religiosa pietate instruunt, vel mores adolescentiae Scholasticae temperant ac moderantur: rem huic solennitati non incongruam, vobisq; non iniucundam fore confido, si de scriptura sacra dicatur aliquid, cuius hi Candidati Studiosos & Alumnos se profitentur. Etsi autem hic protinus ad dicendum campus huiusmodi sese nobis aperit, vt praecopia rerum, orationis exordium, dicendiq; finem & modum inuenire difficilimum sit: tamen, omissis caeteris scripturae laudibus, hac quidem vice praecclarum id certitudinis historiae Biblicae *ΧΡΙΤΗΕΙΟΥ*, quod ab vniuersali orbis, omniumq; populorum testimonio sumitur, pertractandum suscipiam. Nihil autem dicam de eorum suffragio, qui quoquo modo Christianorum nomine censeri volunt: ipsosq; adeo nomine suo, ceu professionis symbolo atq; tessera demonstrant, se scripturae sacrae pro indubitato Dei verbo agnoscere. Nihil de Turcis dicam, qui & scripturam vtriusq; Testamenti caelitus inspiratam,

& à Mose ac Iesu Christo stupendis miraculis sancitam, in Alcorano suo fatentur. Nihil item de Iudæis, qui veteris Testamenti scripta, pro cœlesti veritate agnoscunt, & licet Messiam nostrum capitali odio prosequantur, negare tamen nec audent nec possunt, quòd is miraculis in Iudæa celebris extiterit.

De gentilibus mihi sermo futurus est, quo nimirum pacto Deus apud illos quoq; se non ἀμαρτυροῦσιν, vt Pauli voce vtar, reliquerit, non solum dans eis de cœlo pluuiam, ac tempora frugifera, vt Apostolus ille gentium asseuerat, sed etiam dum in illorum conspectu atq; oculis cultum, populumq; suum doctrinæ cœlestis custodem, multis magnisq; documentis illustrem, partesq; plurimas & maximè insignes historiæ populi Dei gentibus notas reddidit. Nam si à prima origine gentium post diluuium, narrationis telam ordiamur, dubium nullum est, quin ne quidem impius ille Cham, protinus ab omni religione, vnâ cum posteritate sua deflexerit, sed aliqua certè auitæ illius Religionis particula, inter illos quoq; retentæ sint.

Maximè verò sacrificandi ritus ille, quem apud omnes gentes in vsu fuisse constat. Cuius rei prima origo, quia ad humanam rationem referri nequit, quòd rationis iudicio potius repugnet, Deum, qui nec sanguinem haurit victimarum, nec carnibus illarum pascitur, coli oportere oblatione taurorum, hircorum, aliorumq; brutorum animantium: palàm fit, fuisse hæc religionis auitæ illius quasdam modicas reliquias, & vestigia, testificantia de cultibus patrum post diluuium, à quibus gentes illæ discedunt. Ab his enim continua serie morem illum sacrificandi acceperant, & amisso nucleo, hoc est, sacrificiorum vero vsu atq; sine, putamen duntaxat, vti fieri solet, hoc est, externam & in oculos incurrentem ceremoniam retinuerunt.

Sacrificandi ritus notus gentibus.

Posteriores deinde gentes non pauca, à consuetudine seu conuer-

DE CERTITVDINE

conuersione gentis Israëliticæ hunc ritum sacrificandi sunt
 mutuata. Quod ad eò verum est, vt ipsi gentiles id non omni-
 nò dissimulare possint. Herodotus enim scriptor antiquissi-
 mus testatur, cultum sacrificiorum ab Ægyptijs ad reliquas
 gentes peruenisse. Ægyptios autem ex consuetudine Israëliti-
 tarum in Ægypto olim commorantium, multos haud du-
 biè ritus quasi mutuò sumpsisse, coniectura non ambigua
 colligitur, sicut cum primis Iosephus, sancti Patriarchæ Ia-
 cobi filius, seniores Ægyptiorum prudentiam docuisse & eru-
 didisse, vt semetipsum, legitur Psalmo 105. Hic, inquam, Iose-
 phus, veræ agnitionis Dei lucem, beneficio paternæ institu-
 tionis in se accensam, non sub modium abscondidit, sed lon-
 gè lateque per regnum sparsit. Quæ lux multò etiam exar-
 sit amplius, descendente in Ægyptum familia Iacobi, ibidem-
 que annos ducentos commorante. Per stupenda etiam mi-
 racula Mosis, plagas illatas Ægyptijs, interitum Regis im-
 pij, & totius exercitus *πυροληθειαν* ac suffocationem in mari
 rubro, gloria Dei Israëlitis toto orbe terrarum percrebuerat:
 planè vt Pharaoni dixit Dominus: In hoc te constitui, vt an-
 nuncietur nomen meum in vniuersa terra. Hinc Iethro, socer
 Mosis, licet ex gente Midianitarum oriundus, & à populi Is-
 raëlitici societate alienus erat, signis tamen & factis Dei poten-
 tibus excitatus, genero suo, adeoq; toti genti Hebræorum de
 insigni illorum liberatione & admirandis victorijs, solenni-
 bus votis gratulatur, & Deo Israëlitis offert. Quid? quod famâ
 signorum ac bellorum Domini, Chananzorum gentes sic
 terrentur, sic expauescunt, vt nullus in eis scribatur mansisse
 spiritus? Vnde Rahab liquidò profitetur, non esse Dominum
 vllum alium, siue in cœlo sursum; siue in terra deorsum. Sic
 Iob ille & pietatis & patientiæ laude in clytus, etsi ex Israëlita-
 rum populo minimè oriundus esset, Deum verum tamen
 non ipse solùm agnouit & coluit, sed quia præcipua authori-
 tate

tate præ cunctis Orientalibus fulgebat, ipsius operâ, hæc Dei salutaris notitia, longè lateque suos in vicina quoque loca emisit radios. Cuius rei non dubium argumentum est, quòd amici ipsius, nulla facta mentione Deorum gentilium, se vnus veri Dei cultores, per integram eam historiam vnice profiterentur, & de summis capitibus doctrinæ cœlestis non male certè differunt, etsi, quod controuersia statum in disputatione cum lobo attinebat, scopum non attigerint. Tempore Dauidis, multi Reges exteri, atq; inter hos Hiram potissimum Rex Tyri, amicitiam cum Dauide eiusq; deinceps filio Solomone, sanctè admodum coluisse, & ædificationem Templi Hierosolymitani, missis Solomoni lignis preciosis & opificibus, egregiè admodum iuuisse legitur. Quin adeò tùm temporis, occasione sapientiæ Solomonis, cultus Dei Israël effulsit, vt non modò Regina Austri ex remotissimis terræ finibus, ad audiendam sapientiam Solomonis, magis itineribus contenderet, sed & vniuersa terra vultum Solomonis videre desideraret, & cuncti Reges ex longè distitis orbis terrarū partibus, seruos seu Legatos suos mitterent, eiq; oblati etiam donis, tùm de sapientia eius gratularentur, tùm Deum Israël collaudarent, qui populo Hebræo sapientem adeò Regem benignissimè concessisset. Cuius etiam defuncti sepulchrum, literis monumentisq; gentilium celebratum legitur. Quod ex historia Dionis Cassij Nicœi liquet, qui ruinam eius sepulchri, quoddã subsecuturæ, sub Adriano Imperatore, cladis Iudeorum præsagium fuisse confirmat, in hæc scribens verba: Quam cladem etiam ante bellum, multa ipsis nunciauerant. Nam Solomonis sepulchrum, quod illi in supremo cultu & reuerentia habent, sponte & nullo impellente, discussum corrui.

Cæterum omni obseruatione dignissimum est, quòd Deus singulari consilio nonnunquam vicinis gentibus permittit, vt irruptione in Iudæã facta, nonnullos isthinc in peregrina

DE CERTITVDINE

loca transferrent. Quanquam enim huiusmodi abductio-
nes videbantur officere gloriae Dei : tamen Deus pro admi-
randa sua sapientia hinc amplissimam materiam illustrandae
gloriae suae sumpsit, vt hac occasione diuinus ipsius cultus, gen-
tibus etiam Innotesceret, ijsq; opportunitatem subministra-
ret, ad verum cultum se aggregandi, reliquis verò omnis iusta
excusatio praescinderetur.

Sic inditio puellae in Syriam abductae per Iatrunculos, Naë-
man Regis sui literis Israëlitico Regi commendatus, ab Ely-
sæo non modò sanatur à formidabililepra, sed eadem occa-
sione, toti aule Syriacę potentia Dei Israëlis innotescit. Sic de-
cem tribus ab Assyrijs abductae, & in varia loca totius regni di-
spersae, nequaquam profectò penitus de suo Deo siluisse cen-
sendae sunt. Nam licet abducti Israëlitę, multis in rebus à cultu
diuinitus prescripto deuiarent, hoc tamen retinuisse illos du-
bium non est, quòd se professi sunt cultores Dei vnus, qui
gloriam suam stupendis miraculis in suo populo comprobaf-
set. Et fuerunt inter illos, qui etsi communibus inuolueren-
tur poenis, in Idolomaniam tamen exterorum neutiquam
consenserunt, vt ex primo capite Tobiae manifestum est.

Porrò Ethnici, qui in locum abductarum tribuum ab
Assyrio in Samariam collocati, atq; hinc Samaritani dicti fu-
erant, fatalibus edocti poenis, non modò ritus plurimos à po-
pulo Iudaico mutuati sunt, sed etiam expectari ex Iudaeis
Messiam mundi, perspectum cognitumq; habuerunt. Sic enim
Samaritana illa ad Christum ait: Scio quòd Messias venturus
sit, qui dicitur Christus. Cum ergo venerit ille, nunciabit no-
bis omnia. Cumq; Iesus subijceret, se esse illum Messiam: ibi
mulier conciuibus rem omnem sine mora nuncians, non
opus habuit eos demum edocere, quòd à Iudaeis expectaretur
Messias quidam, sed hoc praesupposito veluti iam antè noto
protinus

Protinus ait: Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunq; feci. Nunquid ipse est Christus?

Sed vt institutæ narrationis telam pertexamus, sub Babyloniorum & Persarum florentissimis Monarchijs, per reliquarum duarum tribuum captiuitatem Babylonicam, notitia Dei inter gentes sic effulsit, vt potentissimi orbis Monarchæ de solo Deo Danielis colendo, reparandoq; templo, eius edicta publica longè lateq; vulgarent.

Nabuchodonosor, partim exacta narratione oblatis somnij, eiusdemque interpretatione à Daniele patefacta, partim insigni miraculo seruatorum sociorum Danielis in camino ignis, partim etiam fatali pœna sibi inflata, edoctus, Deum Danielis verum Deum vnicè prædicat, quippe qui solus possit abscondita reuelare mirabiliter, cuius potestas sit sempiterna, & regnum perpetuum, apud quem omnes incolæ terræ vt nihilum reputati sunt. Dan. 2. & 4.

Darius eidem Prophætæ sic fauit, vt in summam dignitatem illum eueheret, totiq; regno præficeret: cumq; Daniëlem à violentia leonum (quibus de consilio & inuidia reliquorum procerum obiectus erat) diuinitus seruatum intelligeret: vniuersis populis, tribubus & linguis scripsisse legitur, vt hunc Deum solum & vnicum reuerentur, quippe cuius regnum non dissipetur, & potestas ipsius in æternum duret, qui miranda faciat in cœlo & in terra, quiq; Daniëlem è fossâ sæuissimorum leonum liberârît.

Quid Cyrum referam? qui Dei populum non minore benevolentia complexus, primo statim anno Monarchiæ suæ, potestatem Iudæis concessit restaurandi templum, & redintegrandi politiam in propria sua terra.

Quemadmodum humanitate non absimili Ahasuerus seu Artaxerxes ijs Iudæis (qui haud dum in patriam redie-

DE CERTITVDINE

rant) non solùm pacem sub suo regno, immunitatemq; concessit, sed insuper Hebræam virginem Estheram matrimonij consortio dignatus est, eiusq; patrum Mardocheum, præcipui nominis Iudæum, ad celsissimæ dignitatis culmen euexit. Hæc fax agnitionis, occasione captiuitatis Babylonica accensa, subinde postmodum in Chaldæa & apud vicinos Orientales populos quasi fumigauit, dum vaticinijs Danielis eruditi, multa tum de Iudæorum religione sciuerant, tum inprimis de promisso Iudæorum Rege, Messia Domino, qui regnum nouum ex Iudæa sinibus in vniversum orbem propagaturus esset, vt paulò post latius docebitur.

Sed neq; in tertia Monarchia, quæ Græcorum est, Deus *αμαρτυρ* esse voluit. Sub Ptolomæo enim Philadelpho, sacra Biblia in Græcam linguam eo tempore vulgatissimam, translata, & in Regijs Bibliothecis gentilium religiosè asseruata fuere. Cuius translationis historiam per septuaginta Interpretes factam perfectamq; descripserunt Aristæus, prædicti Regis Philadelphi Bibliothecarius, Philo Iudæus, Iosephus in libris antiquitatum Iudaicarum, & contra Appionem gentilem. Iustinus item, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus & alij. Hac ipsa vera occasione, in aulam Reginae Æthiopiæ quoq; cultus Israëliticus, vnà cum Bibliorum volumine penetrauit, vt exemplum Eunuchi, Actorum 8. monstrat.

Iam verò in quarta Monarchia, quæ Romanorum est, etiam ante Christi in orbem aduentum, fama cultus populiq; Dei vehementer inclaruit. Quamuis præ incredibili fastu, quo turgebant, eam religionem imperij sui culmine indignam censuerunt. Vnde Cicero celeberrimus aliàs Orator, Israëliticæ autem religionis superbissimus contemptor, in Oratione de Prouincijs consularibus, Iudæos gentem seruituti natam: Et in Oratione pro Flacco, cultum eorum
supersti-

superstitionem barbaram appellat, cui resistere, seueritatis, multitudinem Iudæorum flagrantem, nonnunquam in concionibus pro Republica contemnere, grauitatis esse dicit. Et paulò post: Sua, inquit, cuiq; ciuitati religio: Læli est: Nostra nobis. Stantibus Hierosolymis, pacatisq; Iudæis, istorum tamen religio sacrorum à splendore huius Imperij, grauitate nominis nostri, maiorum institutis abhorrebat. Et iterum: At Cneius Pompeius, captis Hierosolymis, ex illo fauo nihil attigit, in primis hoc, vt multa alia sapienter in tam suspiciosa & maledica ciuitate, locum sermoni obtrectatorum non reliquit. Non enim credo, religionem & Iudæorum & hostium impedimento, præstantissimo Imperatori, sed pudorem fuisse. Hactenus ille. De Augusto Cæsare quoq; scribit Suetonius, quòd licet aliàs peregrinarum ceremoniarum studiosissimus fuerit, Iudæorum tamen sacramentorum despexerit, vt Caium nepotem collaudârit, quòd Iudæam præteruehens, ad Hierosolymam non supplicasset. Vnde æstimare promptum est, cultum Ecclesiæ in potentissima Monarchia Romanorum, ante natum quoq; Christum, haudquaquam ignotum fuisse, licet Romani se meliores putârint esse, quàm vt reiectis vanissimis Idolorum cultibus, soli Deo viuenti & veraci, diuinitatis laudem tribuerent.

In primis verò cum lætum illud cunctisq; seculis desideratum Messiæ tempus appeteret: vsq; adeò Deus iuxta vaticinium Haggai, omnes gentes, adeoq; cælum & terram, mare & aridam ex imis sedibus commouit, vt toto penè orbe publicis spargeretur sermonibus, instare insignem rerum humanarum mutationem, & pro foribus esse regem & regnum nouum, cuius potentia proferenda essent ad vltimos vsq; orbis terrarum terminos, factò initio ex gente & regione Iudaica. Quemadmodum Suetonius expressè

DE CERTITVDINE

restatur in vita Vespasiani, vbi causam recitat, cur Iudæi præ reliquis populis Imperatori Romano repugnassent: Percrebuerat, inquit, Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur. Cum quo testimonio congruit narratio Iosephi libro sexto bellorum Iudaicorum cap. 31. ita scribentis: Cæterùm anceps quædam & in sacris quoq; literis fundata prædictio cum primis ipsos ad rebellandum incitauit, cuius sensus est: quod ipso illo tempore, quidam ex Iudæorum finibus imperium & dominium mundi esset acquisiturus. Hæc quidem Suetonius & Iosephus de Vespasiano explicant, sed sine omni euidenti ratione. Siquidem is nec ex Iudæa oriundus fuit, nec ibi regni sui fundamenta iecit, vt exinde in alias regiones orbis, tanquam Romano imperio nondum subactas, excurreret, easq; demum subigeret.

Ac licet Vespasianus in Palæstina à suis militibus Romanus Imperator renunciatus sit, hæc tamen renunctio tanti momenti non est, vt eius causa vaticinium, tam præclarum etiam sacris fundatum literis ederetur, præsertim quia Vespasianus nihil præ suis antecessoribus Iulio Cæsare & Augusto, eximij præstitit, cuius gratia de ipso potissimum tale quippiam fuisset prædictum, ipseq; prælatus suis illis antecessoribus, quos & potentiores extitisse & latius regnasse cõstat. Sed res ipsa de euentu erudiuit homines, quòd hæc in nullo altero, nisi Iesu Nazareno completa sint: qui vetè ex Iudæa prodijt, atq; inde per prædicationem Euangelij regni sui pomœria ad vltimos orbis terminos protulit, sicut Psalmo 110. & Esaïæ 2. Spiritus sanctus prænuñciauit. Quem admodum piè ac solidè hac de re scribit Egesippus libro 4. cap. 44. vbi de excidio vrbs Hierosolymæ & templi agens, in hanc differit sententiam: Quare occupata arce Antonia, fecerunt quadrangularem Templi circuitum, in quo hoc longè

longè omnium celebratissimum, & antiquis literis, quas sanctas vocabant, insculptum manebat, quòd eo ipso tempore (quo Templum vastatum est à Vespasiano) exoriturus esset vir ex ipsorū regione, qui Dominium totius mundi esset accepturus: Quæ res eos eò dementiæ adegit, vt non tantum libertatem pristinam, sed etiã tale regnum (terrenum) sibi somniarent. Nonnulli hæc ad Vespasianum rerulerunt: Sapientiores autem ad Dominum Iesum, qui in ipsorum regione secundum carnem ex virgine natus, regnum suum per totum mundum eo tempore dilatauit. Hæc Egesippus.

Quæ interpretatio, vt verissima est, sic pulcherrimè cum eo congruit, quod de Cæsare Augusto Suidas recitat. Nam cum Augustus Templum Apollinis ingressus, rogaret: Quis post se futurus esset Monarcha? Responsum ei fertur: Puerum Hebraeum fore mundi Dominum, qui etiam finem & Alentium ora culis Idolorum sit impositurus.

Et de Domitiano Imperatore testantur historiæ, quòd publicis illis sermonibus de Messia, Dauidis filio eiusq; regno sparsis permotus, ad necem conquiri præceperit eos, qui essent de posteris Dauidis, ne scilicet imperium orbis ad Dauidis transferretur posteritatem: Verùm mutasse sententiam, cum duo ex Dauidis orti familia, coram eo sisterentur homines tenues & laboribus magis quàm tractandis armis assueti, à quibus nihil periculi vel sibi vel imperio suo imminere putauit. Quid? quod Vespasianus ipse hanc piam interpretationem vaticinij supra memorati, facto proprio suo confirmat, dum & ipse per famam de Rege Messia, ex familia Dauidis orto audiens, atq; hinc imperio suo metuens, eos, qui essent de domo Dauidis, ad necem trahi voluit, unde Iudæis grauissima seditio orta est, teste Egesippo & historia Ecclesiastica.

Hæc.

DE CERTITVDINE

Hæc, quæ diximus, iterum euincunt, quàm celebris in mundo fuerit fama de Messia, Rege ex gente Hebræa nascituro, vt rectè Iudæi Vespasiani tempore, ortum istius Regis ad suam gentem pertinere sint rati, tametsi in eo lapsi sint, quòd, quæ de spirituali regno Christi prædicta fuerant, ipsi ad sua somnia de regno terreno applicabant, & hac vana spe elati, repugnabant Imperatoribus Romanis. Quodq; scribit Suetonius, eam famam toto Oriente percrebuisse: id mira conuenientia respondet historiæ Magorum, qui cùm essent Orientales, per hanc ipsam opinionem (vt Suetonius appellat) siue notitiam veriùs, prælucente Spiritu sancto eò deducti sunt, vt conspicientes stellam nouam, natiuitatis Christi nunciã, statim longinqua profectioe suscepta, Hierosolymam contenderent: vbi non demùm quærunt, num talis quispiam Rex Iudæorum nasci debeat, sed hoc extra quæstionem posito, rectà sibi locum designari petunt, vbi nasci debuerit. Quare licet Suetonius tanquam Ethnicus, hanc notitiam Orientalium opinionis vocabulo leuiore notet, tamen eam interim rectè constantem nominat, atq; veterem insuper, quòd ea res iam inde ab aliquot seculis infederit animis Orientalium, ab eo nimirum tempore, quo Daniel in Chaldæa floruit, & religionem veram promissionemq; de Messia apud Orientales, tùm vaticinijs suis Chaldæo sermone scriptis, tùm voce viua mirificè illustrauit.

Præter ea, quæ diximus, possunt ex ipsorum gentilium monumentis, innumera penè testimonia produci, quòd de Patrum in originali mundo vita longæua, de ritu sacrificiorum, de Noah, de diluuiò, de arca Noah, confusione linguarum, ædificatione turris Babel, de Abrahamo, circumcissione, de Israël, & sobole plurimorum filiorum ipsius, de industria Iosephi in interpretandis somnijs & prædicanda

fame

famæ Aegypti, de Mose, miraculis ipsius, legibus, & arcano, ut ipsi appellât, volumine, de plagis Aegypti, educatione Israëliitarum ex Aegypto, itinere in deserto, penuria aquæ quæ diseruciabantur Israëlitæ, de Sabbato Iudæorum, Sabbato anni septimi, de cultu Dei vnus apud Iudæos, pane azymo, templo Hierosolymitano, & multis alijs Israëliitarū rebus, Scriptores Ethnici multa testati sunt: quorum testimoniorum quædam annotare, maximò perè vtile fuerit, vt liquidò perspiciatur, historiam Ecclesiæ Dei nunquam in terris sic obscuram fuisse, quia ad gentiliū quoq; aures celebritate sua pertingeret.

De longæuitate Patriarcharum citat Iosephus Scriptores Ethnicos, veluti Manthonem Aegyptium, Berosum Chaldaum, Hastiaum, Hieronymū Aegyptium, Hesiodum, Hecataea, Hellonicum, Acusilaū & Nicolaum, testantes, quòd Patres in mundo primæuo vitam suam in multa secula prorogârint.

Et si verò aliqui ex citatis Authoribus nō extant amplius: tamen dubium non est, quin tum, cū hæc scriberet Iosephus, extiterint, & hoc ipsum scripserint: cū tale quippiam fingere Iosephus, propter aduersarios suos Ethnicos, qui laudē antiquitatis populi Iudaici (quam Iosephus his & consimilibus asserebat) quoquo modo nitebantur conuellere. Qui certè Iosephum mendacij non solū arguere, verū etiam conuincere potuissent: Si nimirum in scriptis suis Authores allegasset, qui vel nunquam fuissent, vel nunquam tale quippiam memoriæ hominum prodidissent.

Noæ Patriarchæ nomen, ad omnem posteritatem gentiliū penetrauit. Cū enim ab eo omnes post diluuium populi descendant: posteri gratam eius memoriam retinuerunt, quem vini inuentorem faciunt, eò quod scriptura etiā teste, cessante diluuiio, vineta colere & plantare cœpit.

DE CERTITVDINE

Porro filiorum quoq; ipsius disertam mentionem faciunt Scriptores exteri. Berofus, Chaldæus scriptor testatur, maledictionem, qua Noah maledixerit posteris Cham, non tam posteritatem, quàm Chamum ipsum attigisse. Et cum lib. 2. scribat Herodotus, vetustissima in mundo Oracula esse Iouis Hammonis in Lybia, & Iouis Dodonæi in Græcia, quæ ambo à duabus columbis ex Aegypto prouolantibus monstrata sint: ex historia diluuij hæc manasse, & à posteris deprauata esse liquidò apparet. Non enim dubium est, Hammonis nomen ortum esse ab Ham filio Noæ, qui Aegyptum occupauit, & Dodonæ nomen congruit cum Dodanum filio Iauani, qui sedem familiæ & Ecclesiæ suæ in ca Epiri ora collocasse existimatur.

Frequentius verò Iaphet nominatur in monumentis gentilium, quem Iapetum vocant, vt ex Ouidio alijsq; Poëtis & Authoribus planum est.

Diluuij quoq; meminerunt antiquissimi Scriptores, Berofus, Hieronymus Ægyptius Phœnicum Historicus, Mnaseas item, & Nicolaus Damascenus lib. 96. de quibus videtur Iosephum libro 1. antiquitatum cap. 4. vbi verba etiam horum Authorum citantur. Ouidius Poëta lib. 1. Metamorph. descriptionem habet diluuij, quod sub Deucalione Rege Thesaliâ vastarat, quod tamē cum diluuiò Noæ confundit, quemadmodum multæ circumstantiæ, congruentes cum narratione Mosis ostendunt, vt quæ de ingentibus sceleribus, impietate, iniustitia, auaritia, tyrannide commemorat, in primis de Gigantum violentia, quibus omnibus motus Deus, totum genus hominū eluione aquarum submerserit. Vnde liquet, ipsum vniuersale potius diluuium describere, quod Moses narrat, quàm particulare illud, quod sub Deucalione accidit.

Quamuis enim Deucalionis mentionem facit: tamen narra-

narrationem ita attemperat, vt de totius generis humani interitu vniuersali difertè loquatur. Et quemadmodum historias diuerfas miscet, sic personarum quoq; nomina videtur confundere. Quæ enim habet de Deucalione solo seruato (quippe quòd ipso non alius quispiam melior nec a maioræ qui fuerit) vnà cum vxore eius in nauì, quæ diu agitata fluctibus, monti altissimo tandem adhæserit: Hæc similiter aliqua ex parte videntur congruere cum ijs, quæ Moses habet de Noah viro iusto, cum paucissimis animabus seruato in Arca, quæ post longam iactationem in montibus Armeniæ tandem requieuerit.

Maximè verò omnium memoratu dignum est, quod Ouidius videtur aliquid vel audiuisse vel legisse in Mose & Prophetis (quorum scripta tùm in Græca lingua longè lateq; legebantur) de decreto illo Dei, quòd aliquando totum mundum, non aquis ampliùs, sed igni sit perditurus. Nara in hac ipsa descriptione diluuij habentur ista carmina.

*Iamq; erat in totas sparsurus fulmina terras,
Sed timuit, ne fortè sacer tot ab ignibus æther
Conciperet flammæ, totusq; ardesceret axis.
Esse quoq; in fati reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cæli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.
Pæna placet diuersa, genus mortale sub vndis
Perdere, & ex omni nimbo demittere cælo.*

Non minus ἀξιόλογον est, quod Orpheus Poëta Ethni-
cus in versiculo qui à Platone in Philebo & à Plutarcho ci-
tatur: ἐκ τῆ γενεῆ κόσμος καὶ ἀπάσθη ἀαδῆς: Sexto millenario
mundi destructionem expectandam ait. Qui versiculus ex
Patrum narrationibus est desumptus: cùm veteres discendi
C 2 visendiq;

DE CERTITVDINE

visendiq; studio propemodum orbem peragrârint, vt de Solone, Pythagora, Platone, Apollonio, Tyanæo, & alijs constantur, Iustinus in exhortatione ad gentiles: Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 1. & alij.

Historia quoq; ædificatæ turris Babel, & factæ diuisionis linguarum aliqua ex parte gentibus innotuit. Scribit enim Berofus libro quarto, Nimrodum assumpto filio Ioue Belo, cum populo venisse in campum Sinear, vbi designârît urbem, & fundârît turrim maximam, Anno salutis ex aquis, centesimo trigesimo primo, & deduxerit turrim ad altitudinem & magnitudinem montium, in signum atq; monumentum, quòd primus in orbe terrarum sit populus Babylonicus, & regnum regnorum dici debeat. Et paulò post dicit: Et turrim quidem ædificauit, sed non compleuit, nec designatam urbem fundauit, quia post quinquaginta sex annos subitò non comparuit, translatus à Dijs. Sic ille quidem, sed nos longè veriùs dicimus eum à Dæmonibus, ob summam ipsius impietatem & tyrannidem abreptum.

Confusionis linguarum quoq; meminit, vbi miram videre licet cum scriptura sacra congruentiam. Et citat Iosephus lib. 1. Antiquitatum Iudaicarum cap. 4. Sybillam quandam, de hac ipsa turri Babel, & diuisione linguarum his verbis differentem: Cum mundus vnâ adhuc vsurparet linguam, cœperunt quidam ædificare turrim apprimè celsam. Verùm Dij concitatis procellis ac turbinibus, turrim deiecerunt, & singulis singulas attribuerunt linguas. Vnde ei ciuitati adhuc manet nomen Babylonis.

Porrò quàm celebris apud gentiles fuerit Patriarcha summus Abraham, ex Iosepho libro 1. Antiquitatum cap. 8. constat, vbi Berofum citat de Abrahamo differentem, similiter & Hecataum, qui peculiarem librum de eo scripsit, Et Nicolaum Damascenũ libro quarto, quorum verba Iosephus

Iosephus sibi recitat. Præterea Pompeius Trogus, clarissimus historicus, & ipsius abbreviator Iustinus, Abraham mentionem faciunt. Et celebratur è gentilibus Abraham, nomine scientiæ Astronomicæ, vt ex Beroso liquet.

De secundo eius coniugio cum Chetura, & ex ea susceptis filijs, expressam mentionem facit Alexāder Polyhistor, citante Iosepho libro primo Antiquitatum cap. 16. Imò tam celebris fuit apud Romanos Imperatores, Ethnicos quoq; Abraham, vt de Alexandro Seucro Imperatore scribit Ælius Lampridius, quòd matutinis horis in suo larario inter reliquos Diuos siue Deos etiam Abrahamum coluerit.

Circumcisio porrò (quæ Abraham & posteris eius diuinitus præcepta est) non solùm nota fuit gentilibus, verùm etiam iisdem ex parte vsitata, ijs præsertim, qui finitimi erant regioni Iudææ.

Herodotus antiquissimus Historicus, de Circumcisione diuersis in locis differit, ac perhibet, eam suo tempore in Æthiopia, Ægypto, Phœnicia, apud Colchos item & Syros in Palæstina (Iudæos intelligit) vsitatam fuisse. Et postquam diu multumq; disputat, qui populi à quibus Circumcisionem acceperint: tandem eam quæstionem abrumpens, ait, colligi id haud facilè posse ob nimiam vetustatem, esse enim ritum Circumcisionis per antiquum. Strabo libro 16. de Ægyptiorum scribēs Circumcisione, inquit: Atq; hoc peculiare apud eos est, omnes filios educare & circumcidere, quod Iudæi ex lege habent, qui ab antiquo sunt Ægyptij. Diodorus Siculus enumerans, qui populi ab Ægyptijs sint orti memorat, ijs populis hanc ipsam ob causam Circumcisionem in vsu esse, quòd ab Ægyptijs descendant. Quod Herodotus & Strabo etiam opinati sunt, Iudæos scilicet ab Ægyptijs ritum Circumcisionis accepisse, cum hi potius ab illis acceperint: Causa huius erroris est, quòd Iudæos

DE CERTITVDINE

deos olim in Aegypto commoratos, & inde per Mosen edū-
ctos nouerant. Quanquā verò in aliquibus circūstantijs hal-
lucinātur Authores Ethnici: tamē ex his testimonijs eorum,
hoc colligitur, quod ad institutum nostrū facit plurimum,
quā videlicet illustri fuerit in mundo cultus populi Dei,
cū videamus ipsos gentiles de celebritate eius palām testi-
ficari. Nam præter citatos Authores, Iuuenalis quoq; Poëta

circumcisionis Hebræorum, licet contemptim, meminit.
Cornelius Tacitus lib. 21. de circumcisione Iudæis vsi-
tata scribit, Iudæos genitalia circumcidere, vt diuersitate
noscantur, atq; hoc modo ab alijs populis segregentur.

Patriarcha Iacob (ad quem sermo Dei factus est: Israēl
erit nomen tuum) ex nomine posteritatis suæ, hoc est gen-
tis Israëliticæ, ab ipso sic dictæ, celebris apud gentes quoq;
est factus. Quod Iustinus Historicus perspicuè refert: Israē-
lem ex prouentu foelici ac numeroso filiorum suorum, Ma-
ioribus suis redditum esse clariorem.

Ioseph autem filius Israëlis, tam notus fuit Iustino, quam
uis gentili, & ante eum Pompeio Trogo, ex quo ille suam hi-
storiam desumpsit, vt integra ferè historia Iosephi illic reci-
tetur. Verba Iustini sic habent: Minimus inter fratres ætate,
Iosephus fuit: cuius excellens ingenium veriti fratres, clām
interceptum, peregrinis mercatoribus vendiderunt. A qui-
bus deportatus in Ægyptum, cum magicas ibi artes solerti
ingenio percepisset, breuē ipsi Regi percharus fuit. Nam &
prodigiorum sagacissimus erat, & somniorum primus in-
telligentiam condidit, nihilq; diuini iuris, humaniq; ei in-
cognitum videbatur: adeò vt etiam sterilitatem agrorum
ante multos annos prouiderit: periissetq; omnis Ægyptus
fame, nisi monitu eius, Rex edicto seruari per multos annos
fruges iussisset: tantaq; experimenta eius fuerunt, vt non ab
homine, sed à Deo responsa dari viderentur. *Hactenus ille.*
Quæ

Quæ sanè narratio cum sacrorum Bibliorum historia pulcherrimè conuenit. Quòd in Ægypto commorati & illinc educti sint Iudæi: ne id quidem gentiliū fugiebat notitiam. Atq; hîc ad Moſen tandem descendimus, quem Deus cunctis gentibus terræ ſic voluit innotescere, vt de eo nō ſolūm Scriptores Eccleſiæ domeſtici, verūm etiam exteri, quamplurima memorię prodiderint. Meminerunt ipſius Iuſtinus, Lyſimachus, Strabo, Diodorus Siculus, Cornelius Tacitus, Iuuenalis, & alij Authores plurimi, quorum nonnullos Flauius Joſephus contra Appionis calumnias allegat.

Conatus eſt autem Diabolus modis omnibus auctoritatem Moſis eleuare, nimirum obliquè & per latus petēs, & gentibus inuiſam reddere cupiens religionem ipſam populi Iſrælitici, ſcriptis Moſis traditam. Et quidem quòd Moſen Magū fuiſſe contendunt profani Scriptores, id & alibi ſatis ſuperq; confutatur, & ipſa hac inſimulatione falſa, vel inuiti coguntur Moſi teſtimonium perhibere, quòd ſigna & miracula ediderit, quando quidē non niſi propter ipſius miracula Magiæ ſuſpicionem ei intentabant. Porrò in deſcribenda hiſtoria educationis Iſrælitarū ex Ægypto, non in omnibus circumſtantijs conueniunt cum ſacris literis, ſed nonnunquam errant turpiter: Hoc tamen ex ipſorum narratione elicitur, rem ipſam, id eſt, ipſam hiſtoriā educationis, toto orbe fuiſſe penè omniū vocibus decantatā, & de hac miranda educatione conſtituiſſe publicè inter gentes, & vbiq; increbuiſſe, quòd talis Legiſlator apud Iſrælitas floruerit, quòd ex Ægypto illos eduxerit, quòd hoſtes inſecuti ſint eos, ſed conatu irrito.

Quamuis interim ſua ſomnia gentiles admiſceāt, partim q̄ Diabolus hoc modo veram narrationē Moſis obſcurare & inuoluere moliebatur, Ethnicorū additamētis fabuloſis: partim verò q̄ ipſi fortè Authores ex aliorum relatione diſpari perſuaſi fuerunt, hæc quæ ipſi admiſcent, ita ſe habere.

Et ex ijs ipsis quæ corruptè narrant, si ad sacram historiam tanquam normam exigantur, facîle de rei summa licebit colligere. Narrat Cornelius Tacitus, Iustinus & alij de ra-be, prurigne & scabie oborta in Aegypto, quæ eiectionis Is-raëliitarum causa fuerit. Hæc illi sanè deprauatè. Et tamen hinc colligitur, quòd de vlceribus Aegypti scruissimaq; pe-ste, quæ vniuersum regnum peruaserat, vt Exodi 9. scriptum est, aliquid audiuerint. Sic refert Iustinus, Mosen sacra Aegy-ptiorum furto abstulisse, quæ armis repetere Aegyptij sint conati. Hæc si examines ad historiam sacram, videbis sanè non nihil ab eius veritate dissidere. Neq; enim Moses sacra Aegyptiorum abstulit, nec Aegyptij hac causa moti fue-runt, vt Israëlitas insequerentur. Atqui hinc tamen euidentis est, quòd historia de vasis aureis & argenteis mutuo acce-ptis, & Deo sic præcipiente, ablati, ad ipsorum aures perua-serit.

Quodq; Iustinus fingit, Aegyptios, cum insequerentur Iudæos, tempestate compulsos esse, vt domum redirent: Est & hoc mendacium cum veritate mixtum: Hoc sanè verum dicit: Aegyptios persecutos esse Israëlitas: Item conatus Ae-gyptiorum esse retardatos, & quidem per tempestatem, non autem quâ redire cogentur, sed potius quâ submergeren-tur, ad interneccionem sic exterminati, vt ne quidem nun-cius tantæ cladis superesset.

Itineris Israëliitarum in deserto non minus in scriptis suis meminerunt Ethnici. Cuius profectionis ducem Mo-sen fuisse rectè narrant Lysimachus, Iustinus, Tacitus & alij. Hoc quoq; verè perhibet Tacitus, quòd Moses se pro duce cœlesti gesserit. Nam hanc suam vocationem stupendis mi-raculis populo, aliò qui contumacissimo, sic approbauit, vt cum pro indubio Propheta agnoscerent. Rectè & hoc fate-tur, quòd nihil æquè in deserto eos afflixerit, quàm a quæ pe-nuria,

nuria, id quod cum historia Mosis Exodi 17. pulchrè conuenit. Quod verò addit Cornelius Tacitus, Mosen, dum sequeretur gregem asinorum agrestium, ad rupem coniectura herbidi soli largas aquarum venas aperuisse, in his sanè sua rursus intermiscet commenta, prout ab alijs fortè audierat. Veruntamen hinc quoq; videre est, quòd de re ipsa aliquid, licet deprauatè, audierit: putâ de rupe, ex qua percussa Moses magnum aquarum flumen eiecerit.

Nec non illud cum narratione Bibliorum conuenit, quod Iustinus scribit, Mosen in deserto montem Sina occupasse. Ac quod Moses tradit de panibus nondum fermentatis, quos secum ex Aegypto asportârint Israëlitæ: ad id manifestè alludit Tacitus, scribens: Raptarum frugum argumentum retinet panis Iudaicus nullo fermento. Videtur etiam quibusdam verbis respicere, quamuis confusè, partim ad columnam nubis & ignis, quæ præcedens castra Israëliitarum, iter eis monstrabat, partim verò ad serpentem æneum in arca Propiciatorij asseruatum. Sic enim dicit: Effigiem animalis (serpentis) quo monstrante errorem sitimq; depulerant, penetrati (Arcæ) sacrauère. Et omninò quàm illustris fuerit Moses vnâ cum suis legibus: Hinc etiam liquet, quòd Diodorus Siculus eum inter celeberrimos & antiquissimos in mundo Legislatores numerat, qui ab Iao (quem Deum suum vocent Iudæi) leges se accepisse ad suam gentem affirmârunt. Et meritò quidem ac verè Moses leges suas Deo acceptas tulit. Non enim finxit colloquia cum Deo, sicut Numa Pompilius nocturnos cum Dea Aegeria finxit congressus, à qua leges suas se accipere simulauit: Sed Moses verè suas leges accepit à Iehoua (quem Diodorus inflexo nonnihil vocabulo Iao nominat) qui Iehoua palàm illi locutus est, audiente hominum plusquam sexcentorum millium, multitudine penè innumerabili, Exodi 19. 20.

DE CERTITVDINE

De legibus Mosis refert Tacitus, quòd eæ ceterorum im-
 periorum legibus planè contrariæ sint, ita vt profana sint Is-
 raëlitis, quæ cæteris gentibus sacra sint, rursus concessa
 apud Iudæos, quæ gentibus sint illicita. Hoc autem insigne
 admodum est, quod profani auctores suo proprio testimo-
 nio cultum per Mosen Israëlitis traditum, ab Idolatriæ suspi-
 cione vindicant, dum affirmant Hebræos ex institutione
 Mosis vnum duntaxat Deum creatorem cœli & terræ cole-
 re, & multitudinem Deorum Ethnicam, idola & simula-
 chra omnia abominari. Strabo enim libro 16. Geographi-
 corum sic scribit: Moses vnus ex Aegyptijs sacerdotibus,
 cum partem quandam regionis haberet, ac moleste ferret,
 Ægyptiorum instituta, hinc eò in Iudæam migravit.

Discessere cum eo multi, quibus diuina curæ erant.
 Docebat enim ille, quomodo Aegyptij non rectè sentirent,
 qui ferarum ac pecorum imagines Deo tribuerent; nec Gre-
 ci, qui Deos hominum figuris insignirent. Et quòd id solùm
 Deus esset, quod nos contineret, terram ac mare, quod cœ-
 lum, mundum & rerum omnium naturam appellamus, cu-
 ius profectò imaginem nemo sanæ mentis, nostræ similè au-
 deat effingere. Oportere itaq; omni simulachrorū effigie re-
 mota, & digno ei fano ac tēplo cōstituto, sine forma colere.

Quibus verbis Strabo pulcherrimè alludit ad Decalogi
 præceptum primum, vbi disertè hoc præcipitur, ne Israëlitæ
 quenquam colāt alium, præter eum, cuius beneficio ex Ae-
 gypti seruitute essent liberati, cui nullum vult effingi scul-
 ptile aut imaginem, siue eorum, quæ in cœlo desuper, siue
 quæ in terra deorsum, siue quæ sunt in aquis sub terra.

In quam sententiam & Tacitus de cultu Iudæorum disse-
 rit. Aegyptij, inquiens, pleraq; animalia effigiesque compo-
 sitas venerantur: Iudæi mente sola, vnumq; numē intelligūt,
 summum illud & æternum, neq; mutabile, neq; interitu-
 rura.

rum. Igitur nulla symulachra vrbibus suis, nedum templis sunt, non Regibus hæc adulatio, non Cæsaribus honor. Hæc ænus ille.

Celebratissimum quoque fuit in ore gentilium Sabbatum Hebræorum. De quo non solum Iustinus refert, Mosen septimum diem more gentis Sabbatum appellatum, in omne æuum ieiunio sacrâsse: verum etiam perhibet de illo Iuuenalis Poëta, nec non Cornelius Tacitus, qui septimo die ocium placuisse Iudæis asserit, quia is finem laborum tulisset. Deinde blandiente inertia, septimum quoq; annum ignavia (vt ipse tanquam gentilis contumeliosè loquitur) datum esse. Cæsari Augusto certè, notum fuisse Iudaicę gentis Sabbatum, ex Suetonio manifestū est, qui temperantiam eius describens, & minimi eum cibi fuisse referens, hæc verba Augusti ex Epistolis eius citat: Ne Iudæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter sabbatis ieiunium obseruat, quàm ego hodie seruavi, qui in balneo post horam primam noctis duas buccas manducaui, priusquã vngi inciperem. Et alius quidam inter Ethnicos pronunciauit Iudæos stolidos, qui maximam vitæ partem ocio consumant, quam rebus præclare gerendis tribuere oportebat. Rident quidem hæc gentiles, & è sublimi despiciunt.

At quemadmodum Apostolus ad Philippenses profiteretur, se gaudere, quocunq; tandem modo Christi nomen inelarescat: Sic nos quoq; decet hæc testimonia gentilium notare, & ad institutum nostrum transferre, quòd gentiles Moysen prædicauerint siue verè, siue per occasionem. Quam ad rem plurimum confert hæc ratiocinatio, si sic cogitemus: quòd cum nomen Mosis tam conspicuum fuerit, apud eos historicos gentiles, qui multis seculis post ipsius ætatem floruerunt: quantò notius fuisse censendus sit ijs hominibus, qui temporis eius fuerunt viciniore? Vt dubium

DE CERTITVDINE

non sit, quin Mosis temporibus integra historia educationis Israëlitarum ex Aegypto & itineris in deserto per vniuersum orbem terrarum percrebuerit, cum videamus famam gestorum Mosis, apud totam posteritatem nulla temporis diurnitate vetustateq; potius se obliterari.

Porro de vita Mosis scribit Trebellius in vita Diui Claudi hunc in modum: Doctissimi Mathematicorum, centum & viginti annos homini ad viuendum datos iudicant, neq; cuiquam amplius iactitant esse concessum, etiam illud aduentes, Mosen solum, Dei, vt Iudæorum libri loquuntur, familiarem, 125. annos vixisse, qui cum quereretur, quod iuuenis interiret, responsum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus esse vidurum. Haftenus ille.

Vbi denuò videas veritatem Ethnicorum fabulis inuolutam. Rectè testatur, in Iudæorum libris, id est, in sacro volumine Bibliorum veteris Testamenti, Mosen vt Dei familiarem introduci. Locutus est enim illi Dominus ore ad os, tanquam amicus ad amicum, Numeri 12. Congruit etiam propè numerus annorum Mosis, tametsi scriptura tantum de 120. annis, quibus vixit Moses, disserat. Quodq; fabulosè narrat Trebellius: Mosen conquestum se iuuenem mori, id sanè nugatur: interim hæc congruit circumstantia, quòd corpore adhuc vegeto & florente obierit, quando quidem nec caligarunt oculi eius, nec dentes moti sunt.

Nòrant præterea gentiles, historiam introducti populi Israëlitici in terram Canaan, eiectis terræ possessoribus, quemadmodum ex Tacito, alijsq; authoribus videre est: quod similiter, quàm pulchrè conueniat cum Historia sacra, liber Iosue luculenter ostendit.

De miranda liberatione Hiskia Regis, obsessi Ierosolymis à Senacherib, quomodo precante ipso & Propheta Esaia, mirabiliter sit liberatus: audiuisse aliquid Herodo-

tum

tum apparet ex ijs, quæ de Sethone Rege, & Sacerdote narrat, qui precibus se aduersus Senacheribum defenderit.

Secundo libro Paralipomenon 35. cap. & 2 Reg. 23. Neco Aegypti Rex scribitur conflixisse cum Iosia Rege Iuda. Huius Neco & belli Syria gesti, mentionem Herodotus in secundo libro historiæ suæ mentionem facit.

Harum & consimilium narrationum (quæ in scriptis Ethnicorum occurrunt) consensus, non modò delectationem mirificam pijs affert mentibus: verùm etiam ad certitudinem assensionis & fidem Propheticæ historiæ confirmandam plurimùm confert: quando videmus tum gentem Hebræam, tum præcipuas eius maximeq; illustres historias, tum etiam cultum in lege proditum, iam inde ab vltimis seculis in mundo celebrem fuisse, gentium omnium consensu atq; suffragijs.

Sed non solùm Ecclesiæ Iudaicæ historia suffragijs Ethnicorum confirmata est, verùm etiam historijs Noui Testamenti præcipuis, astipulantur monumenta gentilium.

Et quidem quòd Christi nomen apud omnes gentes longè celebratissimùm fuerit, nulla probatione indiget, cum gentes omnes ad regnum ipsius vocatæ, & tandem sub obedientiam Euangelij subactæ fuerint.

Inserunt autem præterea Scriptores exteri suis scriptis historias eas, quæ circa Christum & Christianos primitiue Ecclesiæ euenerunt.

Infanticidij Herodis præter Euangelistam Matthæum, meminit etiam Philo & Iosephus. Quorum ille quidem refert, Herodem fama nati Messiae permotum, inter alios infantes suum quoque filium ex Hebræa natum, occidi curasse, ne dominium ad Hebræos denuò transfret. Hic verò libro 17. antiquitat. Iud. narrat, postquam cognouerit Herodes relatu cuiusdam Pharisei, sine & sibi & toti cognationi

DE CERTITVDINE

*fræ imminere ex supremæ Maieftatis decreto: aded commo-
 tum illum fuiſſe, vt nõ ſolùm Pharifæos cõplures, ſed omnes
 eos, ad quos regnum deuolui poſſe ſuſpicabatur, vnà cum in-
 fantibus & familijs eorum occidi curauerit. Quin Macrobi-
 us etiam, licet Ethnicus, aliquid de hoc infanticidio meminit,
 referens inter iocos Auguſti Cæſaris, quòd audiens Herodem
 inter pueros, quos infra bimatum in Syria præceperit occidi,
 filium quoq; ſuum interfici curãſſe, dixerit: Malim Herodis
 porcus eſſe, quàm filius. Sic itaq; fama de nato Chriſto, occaſi-
 one infanticidij, celebribus hominum etiam gentilium ſer-
 monibus prædicabatur.*

*Miracula Chriſti & Apoſtolorum toto orbe nota fuiſſe,
 vel hinc liquet, quòd etiam à Chriſtiana Religione, alieni Iu-
 dæi & Ethnici, verbis non obſcuris fatentur. Iudæi ſanè, licet
 iuratiſſimi hoſtes Chriſtiani nominis, diffiteri tamen non
 poſſunt, Ieſum Nazarenũ miraculis in Iudæa fuiſſe celebrem,
 vt ſupra non nihil attigi. Atq; hîc ſilentio præterire minimè
 poſſumus Flauij Iosephi teſtimonium, quod ipſe, licet à Chri-
 ſtiana profeſſione alienus, veritatis tantùm euidentia conui-
 ctus, Chriſto noſtro luculentum perhibet, libro 18. Antiqui-
 tatum Iudaicarum capite. 4. ſcribens: Ieſum & ſapientia & mi-
 raculis ſtupendis celebrem & Doctorem fuiſſe eorum, qui ve-
 ritatem lubenti animo ſuſcipiebant, qui ex Iudæis & gentibus
 plurimos habuerit ſectatores. Et hunc Ieſum fuiſſe Chriſtum
 ait, qui ad accuſationem populi Iudaici à Pilato morti crucis
 adiudicatus fuerit, nec tamen diſcipulos eius ab eo defeciſſe,
 quando quidẽ illis tertia die iuxta Prophetarum vaticinia (qui
 hoc ipſum, quem admodum alia multa de eo prædixerint) re-
 diuuium ſe oſtenderit.*

*Quòd Chriſtianæ Religionis Author ſit Chriſtus, Iosephũ
 Iudæum modò teſtificantem audimus, nec inſiciatur id Cor-
 nelius Tacitus Ethnicus, qui Chriſtũ ſub Tyberio Cæſare per
 procura-*

procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectū, apertè memorat. Quanta celebritas nominis Christi statim sub primaria ipsius manifestationem extiterit, hoc quoq; documēto constat, quòd Tiberius Imperator, sub quo & passus est Dominus noster, in Deorum numerum ipsum recipiendum putauit. Malo id proponere verbis Tertulliani, contra gentes in istum modum hac de re scribentis: Vt de origine aliquid retractemus eiusmodi legū, vetus erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à senatu probaretur, vt M. Æmilius de Deo suo Alburno fecit. Facit & hoc ad causam nostram, quòd apud vos (gentes) de humano arbitratu Diuinitas pensatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit: homo iam Deo propicius esse debet. Tiberius ergò, cuius tempore nomen Christianum in seculum introijt, annunciatum sibi ex Syria Palæstina, quòd illic veritatē illius Diuinitatis reuelarat, detulit ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui. Senatus quia nō ipse probauerat, respuit. Cæsar in sententiā mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.

Hanc ipsam historiam recitat Eusebius verbis hæc: Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad senatum, vt inter cætera sacra, reciperetur. Verum cum ex senatus consulto Patrum, Christianos eliminari vrbe placuisset, Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem.

Porrò ad historiam Passionis Christi alludere videtur Plutarchus, qui in libro de interitu oraculorum, historiam refert de magni Panos morte sub Tiberio Cæsare. Et Ecclipsi quæ fuit tempore Passionis Christi motus Dionysius Arcopagita, Athenis dixisse fertur: Aut Deus Naturæ patitur, aut mundi machina dissoluetur. Quo insigni miraculo moti Athenienses, aram extruxerunt Deo ignoto, sicut partim ex profanis scriptoribus, partim ex 17. capite Actorum constat.

DE CERTITVDINE

De eadem Eclipsi simul & terræ motu, qui tempore Dominicæ Passionis accidit, Phlegon accuratus Olympiadum supputator, quarto libro (referente Eusebio) ita scribit: Quarto autem anno 202. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis est facta: dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ cœlo visæ sint: Terræ motus in Bithynia Nicenæ vrbis multas ædes subuerterit. Quæ supputatio Phlegonis egregiè conuenit cum historia Euangelica Passionis Christi, quandoquidem eodem illo tempore, nempe anno quarto ducentessimæ secundæ Olympiadis & Christus passus est, & Eclipsis illa magna apparuit, & terræ motus insignis factus est. Conuenit etiam hora diei sexta (cuius Phlegon meminit) cum Euangelica narratione, perhibente, quod ab hora diei sexta vsque ad nonam, tenebræ factæ sint super vniuersam terram.

Præterea Religio & nomen Christianorum ex persecutionibus, quas grauissimas in primitiua Ecclesia perpeffi sunt sub Romanis Imperatoribus, notissimum in terris est factum. De ijs enim meminerunt non tantum domestici, sed etiam exteri Scriptores.

De prima persecutione, quæ Apostolis adhuc viuentibus accidit, & in qua Paulus ac Petrus occisi fuerunt, expressè scribit Cornelius Tacitus, cum Neronis iussu vrbs Roma incensa esset, eius rei culpam in Christianos à Nerone translata, ut causam haberet supplicij afficiendie eos.

Verba eius sic habent: Ergò abolendo rumori, Nero subdidit reos, & exquisitissimis pœnis affecit, quos per flagitia inuisos vulgus Christianos appellabat. Author nominis eius Christus, qui Tiberio imperante per Procuratorem Pontium Pilatum, supplicio affectus erat. Repressaq; in præsens exitialis superstitio, rursus erumpebat non modò per Iudæam,

Iudæam, originem huius mali, sed per urbem (Romam) etiam, quò cuncta vndiq; atrocità ac pudenda confluunt celebranturq;. Igitur primò correpti qui fatebantur (scilicet se esse Christianos) indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incēdij, quàm odio humani generis, cōiuncti sunt. Ea percuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contacti laniatu canum interirēt, aut crucibus affixi, aut flammandi, atq; vbi defecisset dies, in vsum nocturni luminis vrerentur. Cuius persecutionis Suetonius etiam in vita Claudij Neronis meminit.

Quod ad persecutionem attinet, quæ sub Imperatore Traiano contra Christianos instituta est, dignissima lectu extat Epistola Plinij secundi. Refert ibi ad Imperatorem, quem modum in puniendis Christianis sit secutus, nempe quò de eos, qui aliquoties interrogati: Num essent Christiani, hoc ipsum post comminationem periculi, profiteri perseverent, ad supplicia duci iusserit, eò quòd censeat ipse, quicquid tandem sit quod profiteantur Christiani, tamen peruicaciam istam & inflexibilem obstinationem puniri debere. Ibidem de verè Christianis ait: Eos nulla ratione compelli posse, vt Deos gentilium venerentur, vt imagini Imperatoris supplicent, vt Christo maledicant.

Et notatu dignum est, quod scribit, eos ipsos, qui, cum essent aliquandiu Christiani, rursus defecerint, falsos esse, hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quòd fuissent soliri statò die ante lucem cōuenire, carmenq; Christo quasi Deo dicere secum inuicem, seq; sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse. Affirmat insuper Plinius se ex duabus ancillis Christianis per tormenta de rebus Christianorum quæsuisset, vt tantò

DE CERTITVDINE

certius rem exploraret, sed nihil inuenisse aliud, quàm superstitionem prauam & immodicam (vt ipse quidem ex odio Religionis loquitur) Denique testatur se multitudinem eorum, qui ob professionem Christianismi in periculum supplicij vocarentur, permoueri, vt quid sibi hac in parte porro agendum sit, Imperatoris literis edoceri desideret. Multi enim, inquit, omnis ætatis, omnis ordinis, vtriusq; sexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim ciuitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio peruagata est.

Diximus supra de Romano Imperatore Tiberio, sub quo nomen Christianum in orbem introijt, quàm præclarum Christo dederit testimonium, ita vt eum in numerum Deorum adsciscendum iudicaret. At non minus honorificè legimus Alexandrum Seuerum Casarem Romanum, quantumuis adhuc Ethnicum, de Christo sensisse.

Testatur de eo Aelius Lampridius verbis hæc: Vnus viuendi eidem (Seuero) hic fuit. Primum, vt si facultas esset, id est, si non cum vxore concubuisset, matutinis horis in latrio suo (in quo & Diuos Principes, sed optimos electos & animas sanctiores, in quibus & Apollonium, & quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum, & huiuscemodi Deos habebat, ac maiorum effigies) rem diuinam faciebat. Ibidem. Capitolium septimo die cum in vrbe esset, ascendit, templa frequentauit, Christo templum facere voluit, eumq; inter Deos recipere. Quod & Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus sine simulacris fieri iusserat, quæ hodiè idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur. Sed prohibitus est ab his, qui consulentes sacra repererant, omnes Christianos futuros, si id optato euenisset, & templa reliqua deserenda.

Et paulo

Et paulò pòst : Cum Christiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupâssent, contra Popinarij dicerent sibi eum deberi, rescripsit, melius esse, vt quomodocunq̃e illic Deus colatur, quàm popinarijs dedatur.

Præterea solitus est etiam in pronuntiandis sententijs leges Christianorum allegare. Sicut ex citati Authoris verbis sequentibus est videre : Hortatur populum, vt si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus : si non probâset, subiret poenam capitis. Dicebatq̃; graue esse, cū id Christiani & Iudæi facerent in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in prouinciarum Rectoribus, quibus & fortuna hominum committerentur & capita. Item : Si quis de via in alicuius possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subijciebatur in cōspectu eius, aut virgis, aut condemnationi, aut (si hæc omnia transfiret dignitas hominis) grauissimis contumelijs, cum diceret : Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri feceris? Clamabatq̃; sæpius, quod à quibusdam siue Iudæis siue Christianis audierat, & tenebat : idq̃; per præconem, cum aliquem emendaret, dicebat : Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quam sententiam vsq̃; adeò dilexit, vt & in palatio & in publicis operibus perscribi iuberet.

Ergò vt finem faciam, tot Ethnicorum testimonijs, tot suffragijs, adeoq̃; sicut initidò propositum fuerat, omnium populorum consensu videmus confirmari historiam Ecclesie Dei, libris Prophetis & Euangelistarum monumentis descriptam.

Atq̃; hæc sunt quæ de scriptura sacra in solennem hunc promotionis Actum præfari libuit. Candidatos nostros quod attinet : nihil opus fuerit ipsorum laudes prolixè describere, quando quidem ipsimet virtutem & eruditionem

1732911

CCN 902601256

DE CERTITVDINE HIST. BIB.

eximiam suam in examinibus & disputationibus nuper habitis, præclarè admodum singulis & vniuersis approbârunt.

Vterq; igitur non solùm à Reuerendo Collegio facultatis Theologicæ, sed Academiæ quoq; senatu, dignus habitus & iudicatus est, qui ad consecutionem summi & amplissimi in Theologia testimonij atque gradus admitteretur. Cuius rei gratia hunc solennem conuentum celebramus, nostraq; pia vota meritò coniungimus, vt æternus Deus pater liberatoris nostri Iesu Christi, in Spiritu sancto pijs conatibus ipsorum cœlitus benedicat, vt honor qui nunc eis vnamini in clytâ huius Academiæ suffragijs decernetur, vergat ad sempiterni nominis diuini gloriam, Ecclesiæ

Christianæ ædificationem, & plurimorum salutem perpetuam, Amen.

